

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Hippias minor, vel, de mendacio

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

In quouis  
studio vi-  
les, p mul-  
tos, pbs ve-  
ro paucos  
esse.

negligere. Verum cum ad eos respicio qui erudire homines proficentur, absterreor, mihiq; consideranti unusquisque illorum longe ab ea re quam praedicat, alienus esse videtur. Et ut verum tibi fatear, non habeo quo pacto filium meum ad philosophiam exhorter & prouocem. SOC. O amice Crito, an ignoras in quouis studio viles & nullius precij homines permultos esse? probos vero paucos, eosq; maximo in precio habendos esse? Nonne tibi videtur pulchrum quiddam esse gymnastica, mercatura, rhetorica, res militaris? CRIT. Mihi certe. SOC. Nonne vides in vnaquaque harum artium multos ad opus unumquodque ineptos & deridendos? CRIT. Ita est, ac vera nimum loqueris. SOC. Ergo hac de causa studio fugies omnia, & illa filio dissuadebis? CRIT. Haud decet, o Socrates. SOC. Cane ergo ne quod dedecet, agas, o Crito. Mitte curam hanc, verum boni sint homines philosophia studiosi, uel mali: rem uero ipsam diligenter examina. Si inquiringi res praua uidebitur, non solum filios, sed omnes homines absterreto. Sin autem tibi talis, qualis & mihi appareat, sequere eam uiriliter & exerce, atque ad idem studium filios cohortare.

## HIPPIAS MINOR, VEL, DE MENDACIO, MARSILII FICINI ARGUMENT.



**M**IRIFICA Socratis Platonisq; nostri bonitas cum diligentissime multis ubique modis pro uideat ne inuentus credula subdolis sophistarum aucupis capiatur, captaq; perdat, non iniuria Hippium Eliensem sophistarum insolentissimum atque fallacissimum duobus dialogis agit, Maiore uidelicet atque Minore. In maiore quidem de monstrat Hippium rerum professorem pulcherrimarum omnino quid ipsa pulchritudo sit ignorare. In minore uero eundem se iactantem quod ante alios mendacem a verace discernat, ostendit in utriusque definitione prorsus errare: ut pateat Hippium, ut omnium arrogantissimum esse, ita & ignorantissimum esse, atque ineptissimum apparere. Mitto nunc quod eum, ut mos est sophistarum, ia labundum & tenerarium auarumq; depingit: & cum promittat omnia, in omnibus dantem uerba, nihil uero praestantem: cumq; maximis gloriatur, uel in minimis claudicantem. Sed ut ad mendacis ueracisq; definitionem redeamus, mendax rite describendus erat, qui maxime uelit utrumque possit sciatq; mentiri. Verax autem contra, qui maxime uelit utrumque possit & sciat, uera loqui. At Hippias inertissimus artium magister omnium, confusissimusq; ueracis mendacisq; discretor, ordine definit opposito, dicitq; mendacem qui maxime possit sciatq; mentiri quotiescumque uoluerit: Veracem uero, qui quandocumque uoluerit queat & sciat uera loqui. Unde cogitur primum fateri mendaces esse potentes, scientes, prudentes, sapientes. Deinde & bonos ad illa ad qua potentes, sunt atque sapientes. Tertio per artes singulas deducendo compellitur in qualibet tam re quam arte fateri eundem esse ueracem atque mendacem, quod negauerat ab initio. Siquidem in qualibet ille qui optime calleat, idem maxime potest & scit pro arbitrio uera loqui pariter atque mentiri. Quarto ad concedendum inducitur ueracem nihilo meliorem esse mendace, quandoquidem quam sufficiens bonusq; est uerax ad loquendum uera, tam sufficiens bonusq; appareat mendax ad mentiendum. Post haec Socrates sophistam in ambiguitate adducit, uer delinquit grauius, num qui mentitur uolens, an qui nolens. Id uero sophista ne scit soluere, neque Socrates quidem soluere uult sophista. Est autem ita soluendum. In his quidem quae ad intelligentiam pertinent minus errare qui mentiuntur sponte: in his aut quae ad mores spectant, errare magis. Eius uero qui nolens dicit mendacium, contra se habere. Deinde ambigitur utri magis errent, nisi qui dedita opera, an qui in firmitate uel ignorantia peccant. probaturq; longis inductionibus ambiguis, in his quae ad naturam & artem, illarumq; instrumenta pertinent, grauius esse uitium uel impotentia uel ignorantia commissum,

quam malitia perpetrati. Siquidem natura bonum in ipsa potentia, bonum uero artis in hac ipsa, atq; insuper in cognitione consistit. Malum igitur in oppositis. Ex his aut extra propositum Socrates Hippium ad mores transfert, concludens idem in genere morum, quod & in natura artiumq; genere. Quod quidem etsi intelligit Socrates fieri non debere, studet tamen declarare sophistam id nequaquam animaduertere. Profecto in his quae ad uoluntatem moresq; pertinent, grauius delinquitur malitia, id est quadam uoluntate peccandi, quam si uel per impotentiam uel per ignorantiam delinquatur. Postremo Socrates iustitiam esse dicit uel potentiam uel scientiam uel utrunque. Addere sciebat sed nolebat tertium, scilicet uel uoluntatem. Iustitia enim maxime in uoluntate consistit. Id uero declarare uoluit latere sophistam. Sed iam argumentum superioribus praescriptis his concludimus. Docendum sine inuidia. Absque rubore discendum. Gratia semper habenda & docenti. Aliena inuenta sibi non usurpanda.

EVDICVS, SOCRATES, HIPPIAS.



**T**V VERO quidnam taces Socrates, cum tam multa Hippias hic ostenderit? Cur non aut comprobas dictorum aliquid, aut redarguis si quid minus recte dictum tibi uidetur? praesertim cum et ipsi inferiores discesserimus, qui nobis non mediocre philosophia studium

uedicamus? SOC. Sunt Eudice nonnulla ex his quae circa Homerum dicebat Hippias, de quibus percontari cupio. Audi uide quid ex Apemanto patre tuo, illi ad apud Homerum eo pclarus poema esse Odyssea, quo Achilles Ulysses praestantior. In Achille nanque poema unum, in Ulysses alterum aiebat esse compositum. De hoc ergo sciscitari ab Hippia, si modo ei placet, affecto, utrum illorum harum praestantior afferat, postquam alia multa ac uaria de Homero, ceterisq; poetis sunt nobis ostensa. EVD. Nulla prorsus inuidia prohibebit, quin Hippias interroganti respondeat. Respondebis necne Hippia, si quid Socrates querat? HIP. Haud recte agere Eudice, si nunc Socratis interrogationem respuerem, qui solitus sum semper ex Elide patria ad Olympica festa, quo Graeci ad communem celebritatem undique confluunt, me conferre, ipsumq; me ibi apud templum praebere cuique declarantem quodcumque demonstrari quis cupiat, & ad interrogationes singulas respondentem. SOC. O quam felix tibi fors contigit Hippia, si adeo confisus animi sapientia qualibet Olympiade ad sacrum aduectus. Mirarer profecto si quis circa corporis exercitatione athletica illuc certaturus accederet tam corporis uiribus quam tu mentis subtilitate confisus. HIP. Merito sic affectus sum Socrates: nam ex eo tempore quo coepi in Olympiis exerceri, neminem reperi adhuc me aliqua in re superiorem. SOC. Praclarum hercle quod ais Hippia, atque haec gloria tua & patria & parentibus erit quoddam sapientiae monumentum. Verum quidnam de Achille & Ulysses iudicas? Utrum horum praestantior, & qua in re putas? Porro dum multi intus essemus, tuq; differeres, quadam me uerba subterfugerunt: piguit tamen perquirere, tu quod turba erat plurima, tum et ne orationi tuae impedimento fore. Nunc uero postquam pauciores sumus, & Eudicus hic querere iubet, liquidius nobis ostende quod de his uiris dicebas, quoue pacto diiudicabas. HIP. Volo equidem Socrates apertius quam tunc in praesentia referre, qua de his & de alijs sentio. Homerum assero omnium qui Troiam obsederunt, optimum uirum fuisse Achillem, sapientissimum Nestorem, apprime uersutum multiformemq; Ulysses. SOC. Papa o Hippia. AN

*pia. An mihi in hoc gratificaberis? ne me videlicet rideas, si ad percipiendum tardior fuero, ac sepius requisivero? Dignare mihi obsecro, libenter ac facile respondere.*  
*HIP. Turpe quidem esset o Socrates, cum alios eadem doceam, & pro ijs pecunias exigam, si tibi quarenti non indulgerem, nec lato animo responderem.* S O C. *Præclare admodum loqueris. Equidem cum optimum virum Achillem fictum fuisse dicebas, sapientissimum Nestorem, visus mihi sum quod diceret intelligere. Cum vero Ulysem versutum & multiformem, ut verum fatear, quid significare velles, non intellexi. Atque mihi dicas: forte enim hinc magis percipiam: ni quid & Achilles ab Homero multiformis versutusq; inductus fuerit, necne.*  
*HIP. Minime o Socrates, sed simplex oïno. Quoniam in supplicationibus ipsis cum eos disceptantes inducit, ita adversus Ulysem loquentem facit Achillem,*

*O multum generose doli fabricator Ulysses, Conuenit intrepide me uestra refellere dicta, Ut fieri debere puto, fallacibus ipsum Ne me figmentis hinc obtundatis & illinc. Is magis est quoniam quam nigri ianua Ditis Infernalis nobis, aliud qui pectore claudit, Inde palam profert aliud quodcunque uidetur. Ast ego nunc dicam, credo uelut esse futurum.*

*His in carminibus morem veriusq; declarat, Achillem esse veracem atq; simplicem, Ulysem versutum atq; mendacem. Hac siquidem apud eum Achilles adversus Ulysem infert.* S O C. *Videor iam quod ais, o Hippia, intelligere. Versutum n. mendacem vocas, ut apparet.* H I P. *Maximè quidem o Socrates. Talè nempe Ulysem sepe & in Iliade, & in Odyssea fingit Homerus.* S O C. *Ergo existimauit Homerus alium quidem esse veracem virum, alium vero mendacem, neq; utrunq; eundem esse.*  
*HIP. Quid prohibet Socrates? S O C. An idem & ipse censet Hippia? H I P. Maximè omnium. Nimis n. errarem, si aliter ipse sentirem.* S O C. *Homèrū quidè mittamus, cum ab eo sciscitari non liceat, quæ eius fuerit in condendis his carminibus sententia. Postquam vero tu causam suscipis, tibiq; ea videntur quæ dicere Homerum asseris, pro Homero simul ac teipso responde.* H I P. *Fiet. Interroga paucis quod lubet.* S O C. *Mendacisne vocas illos qui facere aliquid nequeant, ut inualidos defebosue, an eos qui facere aliquid possint? H I P. Potentes & maximè quidem, cum in alijs multis, tum etiam in decipiendis hominibus.* S O C. *Potentes itaq; sunt secundum sermone tuum, atq; versuti, nonne? H I P. Certè.* S O C. *versuti vero sunt & subdoli stoliditate quadam & imprudentia? an astutia potius atq; prudentia? H I P. Astutia maximè omnium atq; prudentia.* S O C. *Prudentes ergo sunt, ut videtur.* H I P. *Valde per Iouem.* S O C. *Prudentes vero cum sint, num ignorantibus sunt? H I P. Imò scientes maximè. Nam ob hoc alios seducunt.* S O C. *Cū ergo scientes sint harum rerum quas sciunt, utrum insipientes sunt, an potius sapientes? H I P. Sapientes videlicet in his ipsis ad decipiendum.* S O C. *Siste obsecro, repetamus dicta, ut quid dicas, inspiciamus. Mendaces esse ais, potentes prudentesq; scientes item & sapientes circa illa de quibus mendaces? H I P. Aio.* S O C. *Alios autem veraces esse, alios contra mendaces, atq; hos inter se longè contrarios? H I P. Aio & ista.* S O C. *Ex hoc ergo sequitur, ut mendaces ex potentium sapientiumq; numero sint.* H I P.

*Maximè.* S O C. *Cum vero dicis potentes & sapientes esse mendaces ipsos ad eadem, virū dicis potentes esse ad mentiendum si velint, vel impotentes ad ea quæ mentiuntur?* H I P. *Potentes equidè.* S O C. *Ut ergo summatim dicamus, mendaces sunt qui ad mentiendum potentes sapientēque sunt.* H I P. *Planè.* S O C. *Ergo qui vir mentiri nequit, neq; scit quicquā, non erit mendax.* H I P. *Sic est.* S O C. *Potens aut est qui facit quod vult, & quādo vult, haud morbo vel quibusdam talibus impeditum, inquam, verū quemadmodum tu meum nomen, quotuscunq; vis, scribere potes, ita nunc interrogo. An non hominem sic affectum, potentē vocas? H I P. Sanè.* S O C. *Dic o Hippia, nonne es numerandi cōputandiq; peritus? H I P. Maximè omnium.* S O C. *Siquis ergo te percontetur ter septingenta quantum compleant numerū, nonne, modo velis, oïum quāmodocysime atq; maximè vera de his respōdebis? H I P. Prorsus.* S O C. *Nunquid ex eo quod circa ista potentissimus & sapientissimus es? H I P. Nempe.* S O C. *Utrum sapientissimus es ac potentissimus duntaxat? an et circa eadem optimus, circa quæ sapientia & potentia præstas, hoc est in numeris computandis? H I P. Et optimus insuper Socrates.* S O C. *Vera itaq; de his præ ceteris maximè dicere posses, an nō? H I P. Recor equidè.* S O C. *An & falsa circa eadē? Age nunc Hippia, ut & supra generose magnificeq; responde. Si quis quater septingenta quot sunt, tūne magis de his mentire, semperq; secundū eadem falsa de his pronuntiabis, mentiri, & nunquā vera proferre volens? an qui numerorū ignarus est, poterit magis mentiri quā tu, etiam si mentiri voles? an contra potius ignorans sepe dum volet falsa proferre, vera forte præter sententiam proferet, quia rem ipsam ignoret: tu vero quum sapiens sis, semper dum mentiri voles, similiter mentieris? H I P. Est ut dicis.* S O C. *Mendax itaq; utrū circa alia mendax est, non tamen circa numeros, neq; de numero mētiatur? H I P. Imò & circa numeros.* S O C. *Ponamus igitur hoc Hippia, circa computationem ac numerū aliquem esse mendacem.* H I P. *Certè.* S O C. *Quis hic erit? necesse est ut mētiri possit, ut ipse dicebas, si mendax futurus est. Nempe abs te dictum est, si recorderis, eum qui mentiri nequeat, non esse mendacem.* H I P. *Recordor equidem, atq; ita dictum.* S O C. *Nonne paulò antè constitit te esse ad mentiendum in computandis numeris potentissimum? H I P. Ita dictū fuit & istud.* S O C. *Num & quāmaximè es ad vera proferenda de numeris ipsidem potens? H I P. Valde.* S O C. *Idem ergo potest maximè in computando vera loqui, atque mentiri: is autem est qui bonus est in numeris, videlicet computator.* H I P. *Sic omnino.* S O C. *Quis igitur alius Hippia in computando fit mendax, nisi qui ad idem bonus? Hic enim potens, hic & verax.* H I P. *Apparet.* S O C. *Cernis eundem veracem esse in his atq; mendacem, & nihilò meliorem mendace ipso veracem esse. Idem nanque sunt, neque valde contrarij, ut tu nuper existimabas.* H I P. *Haud certè nūc in his apparet.* S O C. *Visne in alijs quoque consideremus? H I P. Ut lubet.* S O C. *Nonne es & geometria peritus? H I P. Sum.* S O C. *An non idē in geometria contingit? Porro idē falsa quāmaximè de figuris pronuntiare potest, qui & vera. Est autem in geometria.* H I P. *Profectò.* S O C. *An alius ad hæc præter hunc bonus? H I P. Non alius.* S O C. *Nonne bonus ac sapiens geometra*

Utraq; potest? Et si quis alius in figuris mendax, is maxime qui in ipsdem est bonus: hic siquidem potens, malus aut ad mentiendum impotens. neq; unquam fit mendax qui est impotens mentiendi, ut est concessum. HIP. Sunt hac vera. SOC. Tertium insuper inspicimus astronomu, quam ipse artem magis etiam quam superiores, soles Hippia profiteri, sicne? HIP. Sic certe. SOC. An non eade in Astronomia contingunt? HIP. Consentaneum est o Socrates. SOC. Quare & in astronomia si quis alius mendax, is erit maxime, qui bonus astronomus. HIP. Is namq; mentiri summopere potest. neq; n. qui impotes est, is n. inscius est. SOC. Idem ergo & in astronomia verax erit & mendax. HIP. Videtur. SOC. Age Hippia, passim ita per omnes scientias cogita, num ita sit, an aliter. nam ante alios omnes plurimis artibus es ornatus. Quemalmodum ego te quandoq; iactantem audivi, quod sapientia multa exoptandaq; praeceteris abundares, & in foro inter menses disputando deambulantiem: quid diceres te quondam Olympicum adijisse certamen, corporis ornatu spectandum, & omnia corporis ornamenta proprijs manibus confecisse. Primo quidem anulum quem habebas, hinc n. cepisti, tuum fuisse opus, quasi effes sculptendi peritus. quinetiam sigillum quoddam, tuum opus, & strigilem, & vasculum unguentarium similiter opus tuum, calceos quinetiam tuis confutos manibus, vestem & interulam abs te contextam. Quodue admodum mirabile visum est, & singularis sapientiae indicium, cingulum dicebas ostendisse te opus tuum Perficis preciosisq; simile. Item tua quadam poemata, carmina, tragœdias, dithyrambos, & orationes plurimas, Variasq; stylo pedestri compositas: praeterca te illa quae in superioribus comemorabam ante alios omnes tenere, & in rhythmis harmonijsq; & studio literarum ac in ceteris generis huius permultis, si recte recorder, excellere. At vero permiseram tua memoria artificium, quo pollere te miru in modum existimas. forte vero & alia multa sum oblitus. Verum quod dixi, & in tuas (q; multa nimis sunt) & in aliorum artes respiciens, dic age, si repereris unquam ex his quae inter nos concessa fuerunt, a mendace veracem esse diuersum, neq; eundem existere. In qualibet aut sapientia calliditateue, vel quomodocunq; appellare iuuat, quere. Sed nunquam o amice, inuenies: neq; n. est usquam: quod si est alicubi, dicas. HIP. Haud in presentia inuenio Socrates. SOC. Neq; inuenies posthac, ut arbitror. Si aut vera loquor, recordare Hippia, quid ex superioribus sequitur. HIP. Non satis aduerto quod loqueris Socrates. SOC. Nihil opus est in presentia memoriae artificio: patet n. quod non putas oportere, sed ego tibi in memoriam reducam. Recordaris dixisse te Achillem virum fuisse veridicum, Vlysem vero mendacem atq; verutum. HIP. Vtique. SOC. Nunc autem sentis eundem apparuisse veracem esse atq; mendacem. Ideoq; si mendax erat Vlyses, erat & verax. Item si veridicus Achilles, erat & mendax: neq; differentes hi viri inuicem neque contrarij, imo similes extiterunt. HIP. Semper tu quidem Socrates captiuunculas tales contextis, & occupans quod in sermone molestissimum est, ad hoc instas, & minima quaeq; conrectas, neq; aduersus totam rem ipsam de qua est sermo, contendis. Namq; si Velus, nunc pluribus argumentis sufficientiq; ratione ostendam tibi Homeru,

Refertur  
Hippias si-  
bi fecisse a-  
nulum, ve-  
stes, &c.

Vlyse meliorem Achillem veracemq; finxisse: Vlysem vero subdolum, & in pluribus mentientem, atq; Achille deteriore. At si tibi placet, vicissim responde, cumq; mea orationem tuam compara, qua ostendas alterum meliorem esse: atq; ita praesentes hi magis intelliget, uter nostrum rectius locutus fuerit. SOC. Haud istud dubito, vel contendo Hippia, quo minus me sapientior uidearis. cedo equidem tibi. Verum consueui semper, cum aliquis de re aliqua disputat, diligenter attendere, praesertim quando qui loquitur, sapiens esse mihi videtur. Tunc sane discendi avidus, quae dicit obseruo, exquiro, connecto ac repeto, ut clarius dicta percipiam. Sin autem dicentem ipsum parui facio, neq; requiro ab eo quicquam, neq; quid dicat attendo. Atq; hac ipsa coniectura comprehendes, quos aestimem sapientes. Cernes enim me verba illorum accuratissime auscultantem, sciscitantemq; ab illis, ut aliquid discendo in vita proficiam. Et nunc quidem quum dicta tua animaduertentem, quibus illorum carminum testimonio Achillem ostendit aduersus Vlysem, ut iactabundum dicere, mirum quiddam mihi visum est, si vera dixeris. Quoniam Vlyses ipse verutum, mendacis nullius redargui potest: Achilles autem verutus & varius secundum sermonem tuum esse videtur, mentitur enim. Nam cum ea pronunciaisset carmina, quatu nunc recensuisti.

Is magis est quoniam quam nigri ianua Ditis  
Inferus nobis, aliud qui pectore claudit,  
Inde palam profert aliud quodcunque uidetur.

Paulo post addit,

Non mihi uerulus posthac suadebit Vlyses,  
Non Agamemnon, Troianis insistere terris.  
Sed cras ipse Ioui reliquisq; ubi sacra pararo  
Coelicolis, curuo collectas littore naues  
In mare deducam, prima quas luce uidebis  
Nare per Hellepontiacum mare piscibus aptum.  
In quibus aspicias, cupias modo uisere, fortes  
Edoctosq; uiros remis incumbere. nam si  
Neptunus uentis implebit uela secundis,  
Tertia frugiferis Phthiae lux sistet in oris.

Item supra aduersus Agamemnonem iurgans ait,  
Nauius ecce domum nigris, quia praestat, abibo  
In patriam Phthiam: neque enim mens optat ut hic te  
Diuitijs repleam ualidis inglorius armis.

Hec factus, tum coram omni exercitu, tum ad eius amicos, nusquam apparet, vel se ad opus accingere, vel naues trahere, ut domum reuersurus, imo parum admodum curare, ut reuera sint quae loquitur. Equidem Hippia ab initio te rogauit, quum ambigerem uter horum apud Poetam praestantior habeatur, putaremq; utrunq; virum optimum esse, & difficile cognitu uter horum excellat magis mendacio, & veritate, aliaq; virtute. Ambo enim in hoc quam proximi sunt. HIP. Haud recte discernis o Socrates. Nam quae mentitur Achilles, non ex insidijs, sed inuitus propter exercitus casum mentiri videtur, coactus restare atq; succurrere: Vlyses aut sponte ac dolo. SOC. Decipis me charissime Hippia, ipseq; imitaris Vlysem. HIP. Minimè oium Socrates. quidnam dicis? & qua rone? SOC. Quoniam Achille ais non ex insidijs mentiri, qui usque adeo seductor erat, atq; insidior praeter ipsam iactantia, sicut fingit Hermerus, ut tato esset Vlyse callidior, ut ipsi Vanitate absconderet suam, dum coram eo contraria sibi ipsi loqui auderet, Vlysemq; falleret

falleret. Quocirca adversus eum nihil inferre videtur Vlysses, utpote qui mendacium non aduertit. HIP. Quae nam ista dicis o Socrates? SOC. Nescis quod ad Vlysses inquit prima luce se discessurum: ad Aiaceum vero non ita, sed aliter? HIP. Vbi na? SOC. His in carminibus.

Iliad. 1.

Diri nulla prius belli me cura tenebit,  
Hectora quam Priami natum uenisse sub armis  
Myrmidonum naues tentoria longa petentem  
Audiero, preinat Argiuos qui Marte subactos,  
Quiq; rates ignem posthuc iaculetur in ipsas.  
Hectora namque meas naues, aut castra furentem  
Haud reor aulurum dubio contingere bello.

An censes Hippia vsquadeo oblitusum fuisse Thetidis filium a Chirone sapientissimo eruditum, ut quum antea in Vanos istos iactatores Vehementissima oratione inuectus esset, ipse confestim Vlyssi quidem quasi sui ipsius oblitus dixerit nauigaturum se, Aiacei vero comoraturum: potius quam insidiatus, cum Vlysses cognosceret seniore, comentitiusq; machinamētis & dolis se longe potentiorē?

HIP. Haud dolo dixisse ista mihi videtur Achilles, imò ipsa simplicitate aliter persuasus, aliter cū Aiace quam cum Vlysse fuisse locutus. Vlysses autem, seu uera, siue falsa loquatur, semper insidias tendit. SOC. Melior ergo, ut videtur, est Vlysses Achilles. HIP. Minime o Socrates. SOC. An non supra visi sunt qui sponte mendacium dicunt, meliores esse quam qui non sponte? HIP.

Quonam pacto Socrates qui scientes Volentesq; iniuriantur, seducunt, ladunt, meliores esse possunt quam qui haec praeter sententiam faciunt? quandoquidem multum ignoscitur illi qui per ignorantiam iniuriam infert, mendacium loquitur, vel aliud quicquam comittit mali: legesq; in eos seuerius animaduertunt, qui Volentes mala faciunt, mentiunturq;, quam qui nolentes. SOC. Vides Hippia vera me loqui, quum dico accuratum esse me ad sapientum virorum interrogationes: quumq; in ceteris Valde deficiam, hoc tantum habeo boni. Quae enim natura ipsa rerum sit, nescio. quod hinc maxime coniectare licet, quia quoties cum aliquo vestrum loquor, qui opinione excellit sapientia, testesq; doctrinae Gracos omnes habetis, scire nihil appareo. Nunquam enim idem mihi, ut ita dixerim, ac vobis videtur. Quod autem euidentius est inscitiae argumentum, quam si quis a sapientibus viris dissentiat? Mirificum tamen hoc habeo bonum, quod me seruat, quoniam sine rubore Verecundia ad discendum me preparo. Rogo autem ac sciscitor, gratiamq; argentem habeo respondentis, nec vlli vnquam ingratus extiti, neque apud auditores vnquam vendicari mihi aliorum inuenta, sed docentem laudibus semper extollo, illiq; apud omnes quae sua sunt, tribuo. Atqui & nunc quae dicis ipse, nequaquam admitto, imò longe dissentio, & hoc mea culpa contingere certe scio: quippe qui talem esse me fatear qualis sum, ne me extollam. Mihi quidem Hippia omnino contra ac tibi videtur. Opinor siquidem eos qui sponte ladunt homines, iniuriantur, mentiuntur, decipiunt, delinquunt, meliores esse his qui non sponte. Nonnunquam vero contra iudico, & circa haec obervo, utpote qui rem ipsam ignorem. Ecce nunc animi morbus me quidam inuasit, videnturq; mihi qui proposito circa aliquid peccant, meliores esse, quam qui praeter sententiam errant. Huius autem mali superiores sermones causam duco, quibus fit, ut in praesentia existimem

eos qui non sponte peccant, deteriores esse his qui sponte. Ergo tu mihi ignosces, nec vlla inuidia te detineat, quin animum meum cures. Multo mihi maius beneficium conferes, si inscitia liberaueris animum, quam si aegritudine corpus. Si hoc velis multis verbis efficere, praedico tibi hunc in modum te minime curaturum, neque enim assequar. Sin autem ita ut supra, respondere volueris, admodum mihi proderis. Spero autem tibi hoc haud noxium fore. Merito vero te nunc inuocabo Apemanti filii. Na ipse me induxisti, ut cum Hippia disputarem. Quare si nunc Hippias respondere noluerit, pro me ipse intercedito.

EVD. Nil opus est meis ad Hippiam precibus Socrates. Neq; n. id proposuit, ut coactus videlicet responderet: imò se libenter oibus responsurum est pollicitus. Nonne haec sunt Hippia quae dicebas? HIP. Dicebam equidem. Verum Socrates hic o Eudice semper dicetes interturbat, & quasi praestigiator quidam esse videtur. SOC. O vir optime Hippia, haud sponte haec facio. essem utiq; sapiens secundum sermonem tuum atq; astutus. Verum praeter sententiam ago, quamobrem ignosce mihi. At n. non sponte peccanti ignoscendum esse. EVD. Haud aliter facias Hippia, sed nostri gratia, & propter ea quae supra tibi dicta sunt, responde ad ea quae interrogat Socrates. HIP. Respondebo equidem, cum tu roges. Pete ergo quod lubet. SOC. Vehementer cupio Hippia, quod modo dictum est, considerare, Vtri meliores sint, an qui sponte Volentesq; peccant, an qui contra. Spero autem hunc in modum rectissime posse considerari. Responde iam. Vocasne cursorem aliquem bonum? HIP. Equidem. SOC. Et malum? HIP. Ita. SOC. Nonne bonus qui bene currit, malus qui male? HIP. Certè. SOC. An nō qui tarde currit, male currit? qui aut Velociter, bene? HIP. Proculdubio. SOC. In ipso itaque cursu celeritas quidem bonus, tarditas aut malū. HIP. Quid tum? SOC. Vter ergo cursor est melior? Virum qui sponte currit tarde, an qui secus? HIP. Qui vltro. SOC. Nonne currere est aliquid facere? HIP. Facere utiq;. SOC. Facere autem aliquid operari? HIP. Profecto. SOC. Ergo qui male currit, malum hoc, & turpe operatur in cursu. HIP. Malum. Quidni? SOC. Male aut currit, qui tarde currit. HIP. Sanè. SOC. Nonne igitur cursor bonus de industria malum hoc, & turpe operatur, malus pter propositū? HIP. Videtur. SOC. In cursu igitur deterior est qui praeter voluntate agit mala, quam qui volens. HIP. In cursu planè. SOC. Quid aut in palaestra? Vter luctator est melior? nū qui dedita opera cadit? an qui inuitus? HIP. Qui dedita opera. SOC. Ita videtur. Peius aut ac turpius in palaestra cadere, an deicere? HIP. Cadere. SOC. Et in palaestra igitur qui studio mala agit, & turpia, melior luctator est, quam qui imbecillitate atq; inertia. HIP. Videtur. SOC. Quidnā in oī reliquo corporis vsu? nonne qui corpore robustior atq; aptior est, facere pro arbitrio veraque potest, tam quae robusti hoīs sunt, quam quae debilis, & pulchra & turpia? Quapropter qui habitu corporis praestat, quoties male secundum corpus facit, volens efficit, imbecillus aut inuitus. HIP. Videtur quoz idē circa robur contingere. SOC. Quid vero de ipsis figurae concinnitate dicendum? nonne formosioris meliorisq; corporis est, impensa opera turpes figuras confingere, deformis autem contra? quid tibi videtur?

Vtri meliores qui sponte volendo peccant, an qui contra.

Argumentū inscitiae est a sapientibus dissentire. Docētis atq; dissentis officia.

HIP. Quod & tibi. SOC. Figura itaq; inconcinnitas voluntaria ad virtutem corporis attinet, contraria vero ad vitium. HIP. Apparet. SOC. De voce vero quid ais? Vtram meliorem asseris? ex animine voluntate dissona, an ex inertia? HIP. Ex animi voluntate. SOC. Alteram vero peiorem. HIP. Absq; dubio. SOC. Vtru bona optas habere an mala? HIP. Bona. SOC. Vtru eligeres pedes habere qui dedita opera claudicarent, an qui inuiti? HIP. Eos plane qui de industria. SOC. Claudicatio pedu nonne vitium est atq; deformitas? HIP. Est. SOC. Hebetudo aut nonne vitium est oculorum? HIP. Vitium. SOC. Vtros igitur potius oculos eliges, eosne quibus sponte quis confuse videat vel peruersè inspiciat, an contra quibus nolens male aliquis videat? HIP. Eos quibus volens. SOC. Ex his vero q; tua sunt, potiora censes illa q; male agunt sponte, quam qua inuita? HIP. Eiusmodi quaedam videlicet. SOC. An non & reliqua oia, aures, nares, os, omnesq; sensus ratio vna comprehendit, qua docet sensus prater propositum peccantes, eligendos esse nunquam, utpote qui prauis sint: eos aut qui ex instinctu, tanquam bonos, potius eligendos? HIP. Mihi quidem videtur. SOC. Quorum vero instrumentorum melior usus? Vtrum quibus volens aliquis errat, an quibus nolens? Ceu gubernaculu, vtrum melius illud quo de industria quispiam male gubernet, an quo inuitus? HIP. Quo de industria. SOC. Nonne arcus similiter, & lyra, & tibia, ac cetera oia? HIP. Vera loqueris. SOC. Vtra equi aia ad possidendum melior, eane qua sponte quis male equitet, an qua inuitus? HIP. Qua sponte. SOC. Est itaq; melior. HIP. Est. SOC. Meliori igitur equi aia mala huius aia opera volens quis faciet, contraria vero contra. HIP. Omnino. SOC. Nonne eadem de aia canis eae terorumq; aia alium ratio? HIP. Eadem. SOC. Vtrius aut sagittatoris aia tanquam meliorem eligeres? Illiusne qui volens aberrat a signo, an illius qui nolens? HIP. Illius qui vtro. SOC. An non haec ad sagittandi arte melior? HIP. Melior. SOC. Quare aia qua aberrat inscia, deterior est ea qua sciens aberrat. HIP. In sagittandi videlicet facultate. SOC. Quid vero in studio medicinae? nonne qua medendo dedita opera mala quada corporibus infert, quo ad medicinae arte pertinet, peritior est quam illa qua per ignorantiam peccat? HIP. Plane. SOC. Ergo haec in medicina arte est melior. HIP. Melior. SOC. Vtra vero ad citharam pulsandam vel instandas tibias, & alia vniuscuiusq; artis, vel scientia opera est instri-  
 elior, nonne ad haec & melior? & si quando prater artem male quid facit, de industria facit: qua vero deterior, prater sniam? HIP. Apparet. SOC. Seruorum aut animas eligemus potius qua scientes circa ministeriu peccant, quam qua ignorantes, quasi ad haec opera meliores? HIP. Sane. SOC. Animam vero nostram, nonne quam optimam exoptamus habere? HIP. Nepe. SOC. An non melior erit, si sponte mala facit atq; delinquit, quam si nescia? HIP. Graue id esset o Socrates, si qui sponte iniuriatur, meliores essent his qui no sponte. SOC. Ex his tamen q; supra dicta sunt, sequi videtur. HIP. Mihi vero nequaquam. SOC. Putarā Hippiā idē tibi quoz videri. Responde igitur iterū. Iustitia nonne vel potentia qdam est, vel scientia, vel vtruz? An non necesse est aliquid horū esse iustitia? HIP. Necesse. SOC. Si potentia qdam

anima iustitia est, potentior anima, iustior erit? Melior enim o vir optime haec talis nobis apparuit. HIP. Apparet certe. SOC. Quid vero si scientia iustitia sit? Nonne qua sapientior anima, illa iustior? qua insipientior contra iniustior? HIP. Ita est. SOC. Quid si viruz? An no qua ambo haec habet, scientiam scilicet & potentiam, iustior erit? qua non habet, iniustior? Nonne ita re se habere necessarium est? HIP. Apparet. SOC. Quae vero potē-  
 tior, & sapientior est, ea melior apparuit esse, & ad vtraz, tam pulchra quam turpia circa quamlibet actionē peragenda paratior? HIP. Certe. SOC. Quoties itaque turpia facit, volens facit propter artem atq; potentiam. Haec aut, vel ambo, vel alterum, ad iustitiam pertinet. HIP. Videtur. SOC. Enimvero iniuriari, mala facere est: non iniuriari, bona. HIP. Sic est. SOC. Nonne ergo potē-  
 tior ac melior aia, quoties iniuste ager, sponte ager? Prava aut contra? HIP. Apparet. SOC. Nonne vir bonus, qui aia am habet bonam? Malus contra qui malam? HIP. Absq; dubio. SOC. Quamobrem boni viri est, sponte iniuriari, mali aut non sponte. siquidē bonus vir aia am bonam habet. HIP. Habet quidem. SOC. Si quis est igitur horū qui sponte aberrer, turpiaq; & iniusta committat, haud alius est o Hippiā quam vir bonus. HIP. Concedere tibi ista non possum o Socrates. SOC. Neq; ego ipse mihi Hippiā, veruntamen ex superiori sermone necesse est in praesentia nobis ita videri. At vero, ut supra dicebam, circa haec semper sursum deorsumue reuoluor, nec in eadem persisto sententia, neq; mirum est me, metuz similes, rudesq; homines ad contraria circumuagari, si & sapientes vos oberretis. Id autem nobis graue malum, si neq; etiam ad vos profecti errare cessemus.

## CHARMIDES, VEL, DE TEMPERANTIA.

MARSILII FICINI  
ARGUMENT.



TVDIVM Socratis in hoc dialogo est, omnes quidem ad temperantiam cohortari. Tres vero praecipue, scilicet adolescentes, & nobiles, atque pulchros. Adolescentes quidem propterea, quod cita morbis adhibenda est medicina. Principis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas inualere moras. Nobiles quoque, tum ut ostendat veram in virtute nobilitatem esse ponendam, tum quia nobiles plerumque ceteris exemplo sunt, et quod tunc ad rempublicam admittuntur, grauissimo, si mali sint, humani generis detrimento. Formosos denique: nam hi potissimum flagitiosorum consuetudine deprauantur: quo fit, ut magis exeat medicina. Praeterea formosi studere debent, ut quemadmodum natura corpori breuem tradidit pulchritudinem, sic ipsi vicissim Deo naturae auctori, sempiternam animi restituant pulchritudinem. Neque vero permittendum est, ut cum exteriora nostra multis sua pulchritudine placeant, interiora interim sua deformitate dissoluant. Est omnia in hoc dialogo mirificam habeant allegoriam, amatoria maxime, non aliter quam cantica Salomonis, mutau tamen nonnihil, nonnihil etiam praeuertit. Quae enim consonabant castigatissimi auribus Atticorum, rudiorebus foris auribus minime consonarent. Ideoq; Aristarchus quidam Homericus, imo vero Platonius, quae minus consonant, diceret non Platonius esse, sed Chroni. Tria vero in ipso exordio notanda sunt in primis, quae amorem ab hac forma corporis ad incorpoream transferunt pulchritudinem. Primum, quod inquit Socrates se inter pulchrum hunc, & pulchrum illum, nihil discernere, sed pulchros sibi cunctos aequè placere: quasi dicat, non in minus corporis forma sistendum esse pedem, sed ad ipsam commu-  
 nem